

*sibi unitam, quasi nobis unquam in mentem venisset, statuere talem communicationem, quae sola aliqua unione qualicunque, seu combinatione & junctione, absolveretur.*

§. X. Notamus VI. Autorem alloquii haud obscure testari verbis allatis, se in illas Syrtes esse delapsum, atque hinc credere, unionem esse facilem, si nimirum aliquid nostrae dematur doctrinae, & cedatur alteri Parti. Id quod facile fieri posse ipsi videtur. Dicit enim, *nostros statuere communicationem SALTEM ιατὰ συνδύσιν secundum CONJUNCTIONEM;* ubi duae NATVRAE PERSONALITER IVNGVNTVR. Atqui hoc idem ipsum esse, quod concedant Reformati. Verum facile animadvertisit pius Lector, totam nostram sententiam perverti. Primo enim vocabulum, *SALTEM si excludit tantum reliquias species communicationis omnes, quotquot alioqui extra hanc nostram dantur, relicta sola, quae fluit ex unione vera personali, tantisper admitti posset, si vero sensum hunc habere debet, ut excludat omnem realem & veram participationem,* & relinquat solam aliquam *unionem seu συνδρομὴν & conjunctionem,* uti naturarum, ita quoque idiomatum, quae cum naturis realiter idem sunt: in hoc negotio non solum omittenda, verum etiam detestanda erat, quia sic sanctissimam nostram doctrinam adversariis & tradit, & in ludibrium vertit, quasi a tot retro annis de nihilo litigatum esset. Hanc autem postremam vocabuli significationem debere esse, apparet ex eo, quoniam versatur Autor in intentione uniendi utcunque oppositas technas, unde necesse erat, per τὸ SALTEM, lancem, nostrae confessioni contrariam, ponderosiorē reddere, & confundere lectorem incautum, ne diversitatem doctrinae protinus videat. Si enim priori ratione intellexisset vocabulum, ut tantum eo distinxisset modum communicationis hunc ab aliis, & teneret eum, qui flueret ex vera & Scriptuaria ἐνώσει seu συνδύσει personali, quae non saltem esset mera hypostaseos naturarum & idiomatum unio & conjunctio, verum etiam partici-